

# PROŒMIUM

## § I.

### DE NATURA, ET DIVISIONE JURIS UT SIC.

1. *Ratio ordinis.* — « Juri, » sive addiscendo, sive pertractando, « operam daturum prius nosse oportet, unde nomen *Juris* descendat; » prout notatur l. I. ff. *de Justit. et jur.* Neque enim omissis initiis oportet illico medium apprehendere : quia in omnibus rebus illud dumtaxat perfectum existit, quod ex omnibus suis partibus constat : certum autem est cujuscumque rei potissimam partem esse principium, l. I. ff. *de Origine juris.* Ordiendo igitur in nomine illius, qui est Alpha et Omega, Principium et Finis, *Apocal.* c. 1, 8. et quod attinet ad nominis etymologiam quæritur :

2. *Juris vocabulum, unde derivetur? an a justitia?* — Quæritur I. Unde derivetur *Juris* vocabulum? Resp. *Jus* per quamdam synopem derivatur a *Justo*, uti notatur in can. *Jus generale*, dist. 1. ibi, « *Jus* autem est dictum, quia justum est » vel, ut in cit. l. I. ff. *de Justit. et jur.* legitur, « *Jus* a *justitia* appellatum est : nam *jus* est ars boni et æqui : » tradens videlicet id, quod bonum est et æquum, per quasdam collectas regulas ad communem utilitatem ordinatas.

3. *Solvitur instantia, ex c. Jus dictum, de Verb. signif.* — Nec obstat textus in c. *Jus dictum, de Verb. signif.*, ubi Isidorus in libro *Etymologiarum*, dixisse refertur : « *Jus* dictum est a *Jure* possidendi : hoc enim *jure* possidetur, quod *juste*. » Resp. enim hic per Isidorum poni etymologiam *Juris*, non prout *Jus* est generale nomen, sed prout appli-

catur ad rem certam, v. g. dicendo : « *Habeo jus* in tali re : » sic enim *Jus* recte dicitur a *Jure possidendi*. Abbas Panormitanus ad cit. c. *Jus dictum, de Verb. signif.* Et in hac acceptione idem Isidorus, relatus in c. *Omnes*, dist. 1. distinguit ab invicem *Jus*, et *Fas* : « nam transire, inquit, per agrum alienum, fas est, » sive licitum est : « *jus* non est. »

4. *Alia instantia* : et mens Ulpiani in l. I. ff. *de Justit. et jur.* declaratur. — Dices : *Juris* vocabulum est simplicius *Justo*, et *Justitia*; simulque *Jus*, utpote objectum *justitiæ*, est antiquius ipsa *justitia* : ergo non *Jus* a *Justitia* ut vult Ulpianus, l. I. ff. *de Justit. et jur.*, sed potius *Justitia* a *Jure*, secundum ipsas etiam grammaticæ leges, derivatur. Ob hanc instantiam non desunt qui *Jus* a *Jussu*, sive *Jubendo*, derivari censeant; ut Aristoteles, 5 *Ethic.* c. 1 et Calepinus, 7. *Jus* : quasi *Jus* idem sit ac *jussum* superioris : quo dato Ulpianus, loc. cit., tantum vulgariter locutus esse censebitur; idque ob nimiam *justitiæ* cum lege naturali cohærentiam; ut propemodum *Jus* a *Justitia* derivari videatur. Joachim Mysinger lib. I, *Instit.* tit. § *Justitia*. n. 2. Vel dicas cum Alberto Bologneto, tom. I. *Tractatum*, tract. *de Lege, jure, et æquitate*, c. XIV. n. 18. et quibusdam aliis, Ulpianum cit. l. I. *Justitiam* non ut habitum et virtutem, sed ut deam considerasse (etenim gentilitas *Justitiam* colebat ut deam, Jovisque filiam faciebat) prout desumi potest ex subsequentibus verbis ipsius Ulpiani, loc. cit., dum subjungit : « *Cujus merito* quis nos sacerdotes appellat; » sicque censuisse videtur, quod *Jus* ab ea derivetur. Qua ratione sensu catholico dici poterit *Jus* appellari et derivari a

*Justitia*, per hanc intelligendo *Justitiam in creatam*, Deum videlicet ter Opt. Max. a quo omne jus procedit, originatur, et derivatur.

5. *Variae juris acceptiones referuntur.* — Quæritur II. Quot modis jus accipiatur? Resp. I. Jus pluribus modis dicitur, ut notatur l. penult. et ult. ff. de *Justit. et jur.* Primo pro ipsismet legibus, set constitutionibus: prout dicitur *Jus naturale, Jus civile, Jus canonicum*, etc. Deinde pro scriptura, in qua ejusmodi leges, sive constitutiones descriptæ continentur: sic dicitur *Corpus Juris canonici*, hoc est, *Liber scriptus* continens ipsas constitutiones canonicas: item *Jus scriptum*, prout contra distinguitur a *Jure non scripto*, sive consuetudinario; ut §. « Constat autem Instit. de Jure naturali, gentium, et civili. » Tertio accipitur *Jus* pro ipsamet scientia, seu notitia legum, et constitutionum; juxta illud jam allegatum: « Jus est ars boni, et æqui: » hoc est, scientia dictans quid bonum sit et æquum. Et hæc proprio nomine appellatur *Jurisprudentia*, ut habetur §. *Jurisprudentia. Instit. de Just. et jure*, ibi; « *Jurisprudentia* est divinarum atque humanarum rerum notitia, justæ atque injustæ scientia. » Quarto sumitur *Jus* pro materia, sive objecto legum, docentium genus humanum, « ut honeste vivat, alterum non lædat, jus suum cuique tribuat; » uti notatur in proœmio *Decretalium* Gregorii papæ IX. Quinto *Jus* accipitur pro facultate aliquid legitime et licite agendi: sic dicitur quis « jure suo uti: » Item illud, « Nullus videtur dolofacere, qui jure suo utitur, » l. *Nullus*, ff. de *Regul. jur.* Item, « Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur, » juxta reg. 79 *Juris* in 6. Item, « qui juri suo semel renuntiat, non potest postea ad illud redire, » ut dicitur c. *Cum inter R., de electionib.* et alibi. Sexto accipitur *Jus* pro eo, quod cuiquam debetur debito legali (hoc est, debito stricte et proprie dicto) ad quod videlicet reddendum, et quidem quoad æqualitatem, quis lege adstringitur: et *Jus* taliter acceptum est objectum justitiæ propriæ dictæ, quæ communiter cum Ulpiano l. *Justitia*, ff. de *Just. et jur.* definitur, dicendo, « *Justitia* est constans et perpetua voluntas jus suum cuique tribuens, » sive, ut alii legunt, tribuendi.

6. *Variae juris acceptiones referuntur.* — Sunt et aliæ adhuc *juris acceptiones*: quandoque enim illud sumitur pro æquo et justo, juxta allegatum can. *Jus generale*, dist. 1. ibi, « *Jus* est dictum, quia justum est. » Quandoque

pro sententia judiciali: sic judex pro tribunali sedens, et sententiam proferens, censetur *Jus dicere*, juxta l. *Jus pluribus*, ff. de *Just. et jure*. Item alia significatione *Jus* dicitur locus, in quo jus redditur, appellatione collata ab eo quod sit in id, ubi fit; prout notatur cit. l. *Jus pluribus*. Nonnunquam etiam *Jus* accipitur pro necessitudine (id est, jure sanguinis, juxta illud Job vi, 13. *Necessarii quoque mei recesserunt a me*) veluti est jus cognationis, et affinitatis, l. ult. ff. eod.

7. *Quomodo hic accipiatur Jus, et an differat a lege?* — Resp. II. Quantum ad propositum attinet, *Jus* potissimum accipitur pro legibus, atque ipsa legum scientia, quamvis, adhuc strictius loquendo, inter hæc sit nonnulla differentia. Siquidem, ut can. *Jus generale*, dist. 1. dicitur, « *Jus generale* nomen est, lex autem Juris est species: » sub uno enim jure, divino vel humano, canonico vel civili, leges plurimæ continentur.

8. *Jus, prima sui divisione, dividitur in æternum, naturale, positivum.* — Quæritur III. Quomodo *Jus* pro legibus acceptum dividatur, et quid sit lex æterna? Resp. I. Jus taliter acceptum prima sui divisione recte dividitur in jus æternum, naturale, ac positivum. Ita D. Thomas 1. 2. quæst. 91. art. 1. et seqq.; Emmanuel Gonzalez Tellez in *Apparatu juris canonici*, n. 2; Suarez, lib. II de *Legibus*, cap. 2. ac seqq.; Mastrius, disp. 2. *Theolog. mor.* n. 23 et seqq. et alii præsertim theologi: nam juristæ de jure, seu lege æterna (quam Scotus in 1 sent. dist. 3. q. 5. §. *Ad quæstionem* appellat *regulas æternas*) vix, aut parum curaverunt; haud obstante, quod hæc sit radix, atque origo omnium aliarum legum: et ipsa sit talis per essentiam; cæteræ omnes vero tales solum per participationem illius. De qua divus Augustinus lib. I. de *Liberio arbit.* cap. vi. ait, quod « *Lex æterna* sit summa ratio, cui semper obtemperandum est. »

9. *Lex æterna dupliciter sumitur; primo in sua generalitate, ac prout cadit super creaturas, tum rationales, tum irrationales.* — Resp. II. Lex æterna dupliciter potest accipi. Primo in sua generalitate, ac prout cadit super omnes creaturas tam rationales, quam irrationales. Qua ratione Doctor angelicus 1. 2. q. 93. art. 1. ipsam accipit, dum ait: « *Lex æterna* nihil aliud est quam ratio divinæ Sapientiæ, secundum quod est directiva omnium actuum, et motionum creaturarum in suos fines. » Sicut enim in quolibet artifice præexistit ratio eorum, quæ fiunt per artem: ita

et in quolibet gubernante oportet, quod præexistat ratio ordinis eorum, quæ agenda sunt per eos, qui suæ gubernationi subduntur. Cum igitur Deus sit gubernator sapientissimus omnium actuum et motionum, quæ in singulis creaturis inveniuntur, necesse est, quod in Deo ab æterno præexistat ratio directionis, sive ordinis illius, juxta quam in tempore creaturas dirigere decrevit; et talis recte *Lex æterna* appellatur. *Lex* quidem, quia ipsa est ratio gubernationis rerum, in Deo ut in principe universalis existens; æterna vero, quia ab æterno jam existebat in mente divina, nihil enim de novo cognoscit, aut vult Deus in tempore, quasi nova ei succedat cogitatio, et volitio: hoc enim repugnet infinitæ Sapientiæ, atque immutabilitati Dei, *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, uti liquet ex canonica S. Jacobi, cap. 1, 17.

10. *Sed diverso modo.* — Resp. III. Lex æterna in hac generalitate cadit super omnes res creatas, sive rationales, sive irrationales; sed diverso modo. Prior pars liquet ex S. Augustino lib. xix, de *Civit. Dei*, cap. x. dicenti: « Nihil a legibus summi Creatoris subtrahitur, a quo pars universalitatis administratur. » Accedit ratio: quia per legem æternam taliter acceptam intelligitur perpetua Dei ratio, existens in mente divina, qua gubernantur omnia; juxta illud Boetii lib. III. de *Consideratione*, exclamantis: « O qui perpetua mundum ratione gubernas! » Altera pars ex eo liquet, quia hæc ipsa divina ratio, atque voluntas, constituit veluti generales regulas, secundum quas debent omnes res moveri, et operari: hinc ipsa, omnium rerum naturis sese attemperando, contulit quidem agentibus naturalibus modum agendi naturalem, ac necessarium, ipsarum naturis congruentem et accommodatum; agentibus vero liberis concessit modum agendi liberum. Ex quo clare patet diverso modo sub lege æterna cadere creaturas rationales et irrationales.

11. *Creaturæ irrationales, in quo sensu sint capaces legis?* — Dices: Creaturæ irrationales, hoc ipso quod sint irrationales, non videntur esse capaces legis; ergo nequeunt cadere sub lege æterna. Resp. Imprimis opponendo illud *Proverb.* cap. viii, 29. *Et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos.* Item *Psalm.* lxxviii, 23. *Et mandavit nubibus desuper.* Item *Psalm* cxlviii, 6. ubi generaliter de om-

nibus creaturis pronuntiatur: *Præceptum posuit, et non præteribit, cum similibus.* Resp. ulterius, quamvis creaturæ irrationales non sint capaces legis eo modo quo creaturæ rationales, ita videlicet ut illis correspondeat proprie dicta obedientia; adhuc tamen ipsæ suo modo sunt capaces legis, quatenus nimirum subsunt imperio divinæ voluntatis, et ab hac gubernari valent. Si enim voluntas humana exterioribus membris corporis, licet secundum se non habentibus rationem, potest imperare, eisque suo imperio certam legem, necessitatemque operandi imponere: quanto magis divina voluntas imperat creaturis etiam irrationalibus, eisque certas leges, ac necessitatem operandi imponit conformiter naturis suis? Ex eo tamen, quod creaturæ illæ sint irrationales, sequitur, quod naturali quadam necessitate divinæ legi obtemperent, quæ est solum obedientia late, et metaphorice dicta: non autem id præsent ex proprie dicta obedientia, qualem exercent creaturæ rationales legibus divinis obtemperantes.

12. *Secundo capitur lex æterna restricte ac prout respicit solas creaturas rationales.* — Secundo modo lex æterna (sive jus æternum) accipitur non in tanta sua generalitate, sed restricte dumtaxat, ac quatenus respicit solas creaturas rationales. Et sub hac ratione potissimum lex æterna impræsentiarum consideratur, utpote cum de ipsa sermo sit quatenus est radix et origo aliarum legum. Et *Lex æterna* taliter accepta aliud non est quam actus divinæ mentis, quo Deus concipit, atque judicat quasdam regulas practicas necessariæ, et æternæ veritatis, esse a creatura rationali observandas, cum voluntate ipsam obligandi. Cujusmodi regulæ practicæ necessariæ, atque æternæ veritatis (hoc est, penitus immutabiles, et ex se ipsis formaliter atque intrinsece tales) sunt hæc: videlicet, « Deum esse colendum, parentes honorandos, superioribus obediendum, non mentiendum, nemini injuriam faciendam, » ac hujusmodi, quæ ex se ac ex sua natura sunt tales, sicque naturaliter cognitæ. Et lex æterna hoc modo accepta, non solum dicitur æterna ex eo quod existit ab æterno in mente divina: sed præsertim ex eo, quia condita est de regulis practicis, necessariæ et æternæ veritatis, seu invariabilibus. Barth. Mastrius disp. 2. *Theol. moral.* n. 26, et seqq. cum aliis.

13. *Sic a lege æterna derivantur omnes aliæ leges.* — Resp. IV. A lege æterna, tanquam a

prima radice, atque origine, derivantur omnes aliae leges. Ita communis; et patet ex illo *Proverb. cap. VIII, 15. Per me reges regnant et legum conditores justa decernunt.* Unde D. Augustinus lib. I. *de Libero arbitrio*, cap. VI, inquit: « Nihil est in temporali lege justum, quod ex lege aeterna non derivetur. » Et lib. *de Vera et falsa religione*, cap. XXXI: « Conditor legum temporalium, si vir bonus est et sapiens, illam ipsam consulit. » Accedit ratio: quia lex aeterna est regula, et ratio gubernandi existens in summo Deo, qui est omnium gubernatorum primus ac supremus; ergo omnes leges, in quantum sunt rationabiles et justae, ab hac prima regula derivari debent.

4. *Nominatim lex naturalis.* — Idem ostenditur inductione, discurrendo de singulis legibus. Imprimis enim lex naturalis in nobis est quaedam impressio, atque irradiatio divini luminis, et participatio illius aeternae legis quae in mente divina praeminet, ostendens nobis ea esse facienda quae recta sunt ac justa; et e contra fugienda ea quae a justitia et rectitudine deflectunt. Siquidem iudicium illud intellectus divini (ut Scotus quodlib. XVII, litt. C. loquitur) « est mensura totius naturae, » et conformiter ratio naturalis singulorum iudicat, sicque cognoscit hanc v. g. propositionem, « Deus est amandus, mendacium est fugiendum, » ex se, atque ipsa natura terminorum esse veram, ac proinde amorem Dei esse bonum et honestum, mendacium vero malum atque inhonestum. Istud, inquam, iudicium, ut se tenet ex parte Dei, sive intellectus divini, dicitur *Lex aeterna*: prout vero a natura nobis congenitum, ipsoque naturali lumine dictatum inexistit, *Lex naturalis* appellatur. Deinde quod leges positivae deriventur a lege aeterna, paulo inferius sub num. 18. ostenditur. Occasione quarum quaeritur:

15. *Lex naturalis, quae?* — Quaeritur IV. Quid sit *Jus naturale*, ac positivum? Resp. I. *Jus naturale* (quod alio nomine *Lex naturalis* nuncupatur) illud est quod non ex alicujus legislatoris voluntate constitutum fuit (prout accidit in jure positivo), sed nobis congenitum est cum ipsa natura, et ab hac profluit, dictans homini prima quaedam praecipua, et regulas honestatis; ut Deum esse colendum, parentibus obediendum, nemini injuriam faciendam, juxta illud lumine naturali notum: *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris*, ac hujusmodi. Et talem legem naturalem, sive *Jus naturale*, dari in hominibus, de fide est; atque

desumitur ex illo *Psal. IV, 6*, ubi, cum propheta introduxisset quosdam interrogantes, et dicentes: *Quis ostendit nobis bona*, ut videlicet ea sequamur? respondet ipsis, divino afflatus Spiritu: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Quasi diceret: Non est opus alio doctore, quilibet enim habet impressum lumen a Dei vultu, sive a Deo profectum, quo bonum a malo seceruat. Hoc ipsum, et adhuc clarius, habetur *ad Rom. cap. II, 14.* ibi: *Gentes, quae legem non habent* (id est scriptam) *naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt; ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* Concordat illud can. *Jus naturale*, dist. 1. ubi dicitur: « *Jus naturale est commune omnium nationum, eo quod ubique jure naturae, non constitutione aliqua habetur.* »

16. *Bifarie accipitur jus naturale.* — Sciendum tamen, quod *Jus naturale* bifarie accipitur. Primo in largissima significatione, ac prout a causa efficiente definitur, et brutis quoque animantibus convenit. Quae ratione id ab Hostiensi in *Prooemio Summae*, §. *Sed et alia*, et Archidiacono can. *Jus autem naturale*, n. 1, disp. 2. appellatur *Lex naturalis communis*, eo quod *Jus naturale* taliter accipitur brutis etiam commune sit. Hoc modo accipitur illud in jure civili, l. I, §. *Jus naturale*. ff. *de Just. et jure*, ubi dicitur: « *Jus naturale est, quod natura omnia animalia docuit; nam jus istud non humani generis proprium, sed omnium animalium, quae terra marique nascuntur, avium quoque commune est. Hinc descendit maris atque feminae conjugatio, quam nos matrimonium appellamus; hinc liberorum procreatio, hinc educatio: videmus etenim caetera quoque animalia fera etiam istius juris peritia munita censerit.* » Secundo *Jus naturale* accipitur pro eo quod vere ac proprie est tale, ac hominibus tantum, non autem brutis convenit, atque in ipsa naturali ratione, qua a caeteris animantibus differimus, conquiescit; et alio nomine dicitur *Lex naturalis rationalis*, de qua procedunt dicta num. praeced. In brutis etenim, cum nulla sit ratio, sic etiam proprie *Jus aliquod esse non potest*; quamvis dentur in ipsis affectus, et inclinationes quaedam naturales, quae hominibus etiam sunt communes, atque a natura enascuntur. Mynsinger, lib. I. *Instit. Jus naturale*, n. 2. ac seqq. tit. *de Jure nat. gent. et civili*, ac alii.

17. *Jus positivum, quod?* — Resp. II. *Jus positivum* dicitur illud, quod ex libera Dei, vel hominis voluntate pendet. Et dicitur *positivum*, quia a superiore, non ex quadam necessitate, atque intrinseca exigentia objecti, sed libere et contingenter ponitur. Hinc *Jus* mere positivum illa dumtaxat praecipit, vel prohibet, quae a jure naturali nondum praecipiebantur, vel prohibebantur. Dicitur notanter, *Jus mere positivum*: quia nihil impedit, quominus illud, quod jure naturali jam est praecipuum, vel prohibitum, per novam legem in tempore latam etiam praecipiat, vel prohibeatur jure positivo, divino, aut humano: sic etiam honor parentum praecipitur, furtum autem et perjurium prohibetur lege positiva, haud obstante, quod jam sint praecipua, vel prohibita ex ipsa lege naturali. Verum hujusmodi leges non sunt mere positivae.

18. *Omnesque leges positivae, tum divinae, tum humanae?* — Caeterum, quod leges positivae, tam divinae, quam humanae deriventur a lege aeterna, veluti a prima radice atque origine, ut dictum est num. 13. ex eo liquet: quia ex hac v. g. regula legis aeternae, « *Deus est colendus, Deo est obediendum,* » deducuntur omnes illae leges, et caeremoniae sacrae a Deo diversis legibus tum in Veteri, tum in Novo Testamento hominibus injunctae, atque praescriptae circa fidem, sacrificia, sacramenta, aliaque ad cultum divinum pertinentia. Deinde ex illa regula legis aeternae, *Injuriam nemini feceris*, derivantur quamplures leges humanae, quae ad justitiam et rectitudinem humanae conversationis, bonamque reipublicae gubernationem spectant. Tandem uno verbo, ex illa regula legis aeternae, « *Obediendum est superioribus legitime praecipientibus,* » derivantur, vimque suam obligandi originaliter deducunt omnes leges positivae.

19. *Et in quibus differat a jure naturali?* — Porro *Jus positivum* multipliciter differt a jure naturali. Siquidem hoc est invariabile, illud autem variabile. Illud descendit ex libera voluntate legislatoris, juxta diversa temporum, locorum, personarum, aliarumque circumstantiarum exigentiam, pro communi utilitate diversas, et speciales leges statuentis, can. *Sciendum.* et seqq. dist. 29. Non item *Jus naturale*, utpote quod ex intrinseca ratione, atque exigentia objecti provenit. Ulterius, quae jure naturali sunt prohibita, ideo sunt prohibita, quia ex se mala; quae autem jure positivo prohibentur, ideo sunt mala, quia prohibita. Sic enim comestio pomi vetiti in para-

diso ideo fuit mala, et peccaminosa, quia prohibita a Deo: ac de facto comestio carniarum tempore jejunii ideo est mala, quia prohibita a sancta matre Ecclesia.

20. *Jure naturali omnia sunt communia, quomodo sit intelligendum?* — Dices. *Jure naturali omnia sunt communia omnibus*, arg. can. *Quo jure*, dist. 8. juncto can. *Dilectissimis* 12. q. 1. ubi Clemens papa sic loquitur: « *Communis usus omnium, quae sunt in hoc mundo, omnibus esse debuit:* » et tamen post lapsum generis humani, istud est revocatum, atque introducta bonorum divisio; ergo etiam *Jus naturale* potest mutari. Resp. dist. ant.: *Jure naturali* permissivo omnia sunt communia, conced. Praeceptivo, neg. ant. et eodem modo, dist. conseq. Nam data doctrina de invariabilitate juris naturalis loquitur de jure naturali praecipivo, quo positive alicui per lumen naturale praecipitur, aut prohibetur: non autem de permissivo tantum, quo pro statu innocentiae, et ante factam bonorum divisionem, cuilibet homini id, quod primo sibi occurrisset conveniens, permissum erat occupare ad usum suum necessarium. Per hoc quippe neutiquam praecipiebatur in perpetuum servare istam rerum communitatem; neque prohibebatur imposterum inter homines introducere rerum, bonorumque divisionem, praesertim novis emergentibus de causis: alioquin *Jus* illud non fuisset dumtaxat permissivum, sed etiam praecipivum.

21. *Jure naturali omnia sunt communia, quomodo sit intelligendum?* — Alii sub aliis terminis, et quidem expeditius, ad praefatam instantiam respondent. Dist. ant. *Jure naturali omnia sunt omnibus communia positive*, quasi hoc jure fuerit praecipua rerum communitas, et oppositum prohibitum, neg. Sunt omnia omnibus communia negative solum, quatenus isto jure nulla est facta divisio rerum, neque de tali quidpiam statutum, conced. ant. Sed neg. conseq. Siquidem hoc non obstante, postmodum pro statu naturae corruptae ob novas causas emergentes, constitui potuit, atque de facto constituta fuit rerum divisio: idque rationabiliter, quia post lapsum primorum parentum, et depravatam naturam generis humani, communitas omnium rerum fuisset contra pacificam conversationem hominum: cum mali et cupidi occuparent ultra ea, quae sibi essent necessaria, et hoc etiam inferendo violentiam aliis magis probis, aut minus fortibus, qui vellent secum eisdem rebus participare, atque uti ad neces-

sitatem. Scotus, 4. dist. 15. q. 2. §. Secunda conclusio. Mastrius, disp. 2. *Theol. mor.* num. 46.

22. *Bella et servitutes sunt juri naturali contraria: quomodo?* — Urgebis. Bella, captivitates, et servitutes jure gentium sunt introductæ, et de se licitæ: atqui hæc sunt contra jus naturale §. *Jus autem gentium.* Instit. de *Jure nature, gent. civil.* ubi dicitur: «Bella etenim sunt orta, et captivitates secutæ, et servitutes, quæ sunt juri naturali contrariæ;» ergo. Resp. conformiter dictis talia esse juri naturali contraria, non positive, quasi isto jure fuissent prohibita; sed dumtaxat negative, quatenus jure naturali, quo omnes homines ab initio liberi nascebantur, nondum introducta fuerunt; sed postea, primum sic exigentibus rerum necessitatibus ad compescendos malos, injuriasque propulsandas et propria jura tuenda, communi populorum consensu atque usu inventa sunt. Accedit, quod libertas homini quidem naturaliter conveniat, nisi subsit culpa, vel justa causa: secus tamen est, ubi talis culpa, vel causa intervenit. Nam sicut quis ob culpam, aut in bello justo, licite potest vita privari, et una cum tota sua posteritate extingui: ita etiam, et quidem a fortiori, potest privari libertate, et una cum posteris suis in servitutem redigi.

## § II.

## DE DIVISIONE JURIS POSITIVI, AC DE JURE GENTIUM.

23. *Qua ratione dividatur jus positivum? Jus positivum divinum, et humanum, quid?* — Queritur I. Qua ratione dividatur jus positivum? Resp. I. Præcipua, et primaria hujus divisionis, desumpta ex diversitate causæ efficientis, est in jus positivum divinum, et humanum. Et quidem *Jus positivum divinum* est, quod immediate a supremo legislatore Deo ter. Opt. Max. in tempore latum, et hominibus positum fuit. Econtra *Jus positivum humanum* dicitur, quod immediate fertur ab hominibus, sive, quod maxime ab auctoritate humana procedit.

24. *Divinum subdividitur in legem veterem, et novam, seu evangelicam.* — Resp. II. Jus positivum divinum subdividitur in *Legem veterem*, quam pro tempore Antiqui Testamenti Deus ipse condidit de multis disponendo, quæ ad jus naturale non spectant: ut lex circumcisionis, lex agni paschalis, diversi ritus sa-

crificiorum, plurimæque alia circa cæremonialia, et judicialia Veteris Testamenti. Et in *Legem novam*, sive *Evangelicam* quam Christus Dominus verus Deus et Homo instituit, atque in Novo Testamento observari mandavit: ut lex lata pro universo mundo de recipiendo Baptismo, juxta illud *Matth. cap. ult. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Item præceptam de receptione sacramenti Pœnitentiæ post lapsum baptizati in peccatum mortale, nec non de receptione sacramenti Eucharistiæ aliquoties per vitæ decursum, ac de indissolubilitate matrimonii, et hujusmodi.

25. *In lege evangelica, quæ præcepta immediate obligent ex jure divino?* — Ubi generaliter est notandum cum Doctore angelico 1. 2. q. 108. art. 1. et 2, Scotus in 3. dist. 40. §. *In lege autem nova;* Gonzalez in proemio *Juris canonici* n. 27. et 28; Fagnano c. *Cum esses*, n. 119. de *Testament.* et alii, quod in lege evangelica præter præcepta moralia, quæ sunt juris naturalis, sicque invariabilia, nullum extet præceptum immediate obligans jure divino, nisi circa Sacramenta novæ legis, utpote ab ipsomet Christo Domino instituta, et circa præcepta fidei, cujus quædam mysteria per legem evangelicam magis explicata fuerunt: prout patet de præcepto credendi in sanctissimam Trinitatem, Incarnationem Verbi divini, passionem Christi Domini, ejusque gloriosam resurrectionem, atque in cælum ascensionem, etc.

26. *Non omnia præcepta, quæ condiderunt Apostoli, sunt juris divini.* — Nec obstat, quod nonnulla alia præcepta tum ex S. Scriptura, tum ex traditione apostolica habeantur: ut illud de bigamis non ordinandis, I *Timoth. III. 12;* de abstinentia a sanguine, et suffocato, indicta ab apostolicis in primo concilio Hierosolymitano, *Act. xv, 20,* de jejuniis quadragesimali ac hujusmodi. Resp. enim non omnia præcepta illa, quæ condiderunt Apostoli, esse juris divini, sed illa dumtaxat quæ veluti ex ore Christi accepta fidelibus traderunt, atque promulgaverunt: alia vero, quæ Apostoli tanquam pastores et rectores Ecclesiæ statuerunt, ad jus humanum ecclesiasticum spectant; ut fit in enumeratis exemplis, ac nonnullis aliis.

27. *Declaratur hoc in præcepto abstinendi a sanguine, et suffocato. Act. xv, 20.* — Et hoc specialiter patet de memorato præcepto abstinendi a sanguine, et suffocato, *Act.*

xv, 20, quod apostoli gentibus ad Christum conversis de novo imposuerunt: non quidem ad observandum cæremonialia veteris legis (harum enim obligatio jam cessaverat, prout ibidem sancti Apostoli ex instinctu Spiritus sancti definierant), sed vitandi scandali causa; hoc est, ut facilius Judæi, ac gentiles ad fidem conversi, coalescerent in unum, et non propter esum sanguinis, vel suffocati, quem Judæi ex antiqua consuetudine plurimum abominabantur, ipsi Judæi a gentilibus simul habitantibus sese abalienarent: qua causa sublata, et Judæorum atque gentilium animis sensim jam in unum coalescentibus, atque coadunatis, etiam lex illa fuit abrogata, et totius Ecclesiæ occidentalis consensus, atque consuetudine laudabiliter antiquata. Unde divus Augustinus, lib. XXXII, *contra Faustum*, cap. III, inquit: «Quis jam hoc christianus observet, ut turdos et minutiores aviculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est? Aut leporem non edat, si manu a cervice percussus nullo cruento vulnere occisus est?» Cum igitur contra legem divinam nulla valeat consuetudo, cap. ult. *de Consuet.* simulque «lex superioris per inferiorem tolli non possit,» ut dicitur Clem. *Ne Romani, de Elect.* manifeste sequitur, memoratam legem de abstinentia a sanguine, et suffocato, in primitiva Ecclesia ab Apostolis positam, fuisse mere humanam ecclesiasticam, haud obstante, quod fuerit inserta S. Scripturæ. Fuit enim lata ab apostolis solum ut pastoribus, et rectoribus Ecclesiæ, ex assistentia tamen Spiritus sancti, id ordinantibus pro communi bono nascentis Ecclesiæ: non autem veluti immediate accepta ex ore Christi Domini.

28. *Jus positivum humanum subdividitur in jus gentium, civile et ecclesiasticum.* — Resp. III. Jus positivum humanum recte subdividitur in jus gentium, civile, et ecclesiasticum. Ita communis. Siquidem jus gentium communi omnium, aut fere omnium populorum usu, et consuetudine fuit constitutum, ut proxime fusius dicitur; ergo hoc ipso recte reducitur ad jus positivum humanum. Deinde, quod jus civile, atque ecclesiasticum, sint species juris positivi humani, in confesso est inter christianos; cum quodlibet eorum sit constitutum ex potestate legislativa humana, civilis videlicet, aut ecclesiastica: quamvis alterum membrum, sive jus ecclesiasticum, gentiles philosophi non agnoverint; idque defectu veræ fidei, ratione cujus finem su-

pernaturalem, et spiritualem potestatem a Deo Ecclesiæ concessam non intellexerunt.

29. *Homo potest quadrupliciter considerari, sicque utitur diverso jure.* — Accedit alia ratio datæ divisionis juris. Etenim homo potest quadrupliciter considerari, videlicet in genere ut animal, in specie ut homo, item ut subditus Romano imperio, et tandem ut christianus, sive subjectus sanctæ matri Ecclesiæ. Si homo spectetur primo modo, nempe ut animal, utitur is jure naturali, saltem large accepto: si consideretur secundo modo, videlicet ut homo, utitur jure gentium, tum primario, tum secundario: si tertio modo, nimirum ut subditus Romano imperio ejusque civis, utitur jure civili, quod simpliciter prolaturum intelligitur de romano: si tandem homo consideretur quarto modo, nempe ut christianus, et subjectus Ecclesiæ, utitur jure canonico, sive ecclesiastico. Potest is etiam spectari quinto modo, scilicet ut civis Monacensis, Bononiensis, et tunc utitur legibus municipalibus talis determinati loci, v. g. statutis Monacensibus, Bononiensibus. Lancellottus in principio lib. I. *Instit. in glossa. §. Est igitur;* Gonzalez in proemio, n. 30. Verum, ut proxime data juris divisio melius intelligatur, expedit de singulis ejus membris singulatim agere. Hinc.

30. *Jus gentium, quid?* — Queritur II. Quid sit jus gentium, et an differat a jure naturali? Resp. I. *Jus gentium* dicitur illud, quo omnes gentes, vel ferme omnes utuntur. Ita habetur I. I. §. *Gentium*, ff. *de Just. et jur. juncta l. Omnes*, ff. eod. ubi dicitur: «Quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peræque custoditur: vocaturque Jus gentium, quasi quo jure homines utuntur.» Concordat D. Thomas 1. 2. q. 57. art. 3. et sequuntur doctores communiter.

31. *Est duplex, primarium.* — Notandum tamen, quod jus gentium per juris interpretes passim duplex assignetur, primarium videlicet, et secundarium. *Jus gentium primarium* (quod et *antiquum jus gentium* appellatur, I. I. ff. *de Acquirend. rer. dominio*: item, *jus divinum*, eo quod divina quadam providentia constitutum, nobisque a Deo inditum fuerit, §. *Sed naturalia*, Instit. *de Jure natur. gent. et civil.*) coincidit cum jure naturali proprie dicto, ac prout istud solis hominibus convenit: estque illud, quod naturalis ratio inter omnes gen-